



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 133. Diversa Clementis XI. Decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

carcere mulctati sunt. Præterea Vien-
 næ die tertia Augusti novem Mensium
 Princeps Archidux Josephus Leopoldus
 Josephi I. Filius unica Augustissimæ
 Domus spes in ferale tumulum decidit,
 non sine ingenti totius Aulæ Cæsareæ
 luctu, quem tamen nonnihil tempera-
 bat Maria Amalia die vigesimo secundo
 Octobris Romanorum Regi nata: Insu-
 per mortuus est, Ernestus Comes de
 Trautson Viennensis Episcopus, &
 die decima nona Martii Carolus Jose-
 phus unicus Ludovici Badensis Mar-
 chionis Filius, die decima octava Apri-
 lis Henricus Nassoviæ Princeps, & vi-
 gesima secunda ejusdem Mensis Adol-
 phus Joannes II. Bipontinus Dux, die
 septima Junii Ferdinandus Guilielmus,
 & secunda Octobris Fridericus Wir-
 tembergico-Neostadiani Duces deces-
 sere: Denique hoc anno ultimus Co-
 mitum Tecklenburgicorum, necnon
 Lubomirskius Princeps Magnus Polo-
 niæ Marecallus morte extincti sunt.

Sæc. XVII.
 A. C. 1701.

Vid. supra
 pag. 582.

§. CXXXIII.

Diversa Clementis XI. Decreta.

Præter Bullam, qua Clemens XI. Pa-
 pa die vigesima quinta Februarii
 pro impetrando salutari sanctæ Eccle-
 siæ Catholicæ regimine jubilæum uni-
 versale

Bull. magn.
 Const. Clem.
 XI. p. 4.

Zz 2

versale

Sæc. XVII A. C. 1701. versale indixit, insuper Bullam Cænæ innovavit, variaque privilegia nonnullis familiaribus suis pro more concessit. Exstat quoque ejus Constitutio, qua belli flammis Italiæ impendentibus, indulgentias plenarias Christi fidelibus Italiæ & Insularum adjacentium die vigesima nona Julii indulgit, si imploraverint Dei opem pro pace inter Principes Christianos obtinenda. Præterea immunitatis privilegium in exterorum Legatorum Palatiis penitus abrogavit: Die autem decima sexta Aprilis annuit Pontifex, ut possit Officium S. Petri de Alcantara pro universali Ecclesia celebrari sub ritu duplici de præcepto: denique die decima quarta Novembris Beneventanis Canonicis perpetuo concessit usum Mitræ tam in quibusvis functionibus Ecclesiasticis, quam in eorum insigniis: confirmavit etiam decretum, quo conceditur, ut Officium cum Missa de B. Augustino Dalmata Episcopo Zagabriensi & Lucarino in hisce Diæcesibus & toto Ordine FF. Præd. celebretur.

§. CXXXIV.

*Diversæ Sacrarum Congregationum
decisiones.*

Inter